



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 6. Statuæ salis in quam versa est vxor Lot, perennitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

*vere nostri, respondit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mandati sunt.* Nimirum sicut leprosi in lege veteri erant quasi irregulares, eò quòd non tantum naturaliter, sed etiam legaliter essent immundi; adeoq; non tantum ab hominũ conuictu, verum à templo quoque & sacris arcerentur: ita peccatores omnes in lege noua sunt immundi, ac proin indigni consortio Sanctorum, à quorum caelesti domicilio, & beato illo Agni templo arcentur. Quemadmodum igitur illam leprosum irregularitatem non medicus, sed sacerdos poterat tollere; cui propterea se sistere debebant, vt expiarentur, ac sacris, iuxta ritum, quem Deus præscripsit, restituerentur: ita se se debent & nunc sacerdoti sistere, & accurata omnis labis suæ patefactione, per confessionem, & sacramentalem confessionem, sicut Christus instituit, ostendere, vt ab illo absoluantur, diuinæq; gratiæ, & in ius hæreditatis caelestis restituantur. Atque hæc de monstrosa Iudæorum lepra.

§. VI.

*Statua salis, in quam versa est uxor Lot, perennitas.*

Quod

Matth. 8.

4.

Luc. 5. 14.

Leuit.

c. 14.

, ne  
cari,  
pati.  
Dei  
dia  
a af-  
cum  
vel  
nta-  
in-  
fed  
ve-  
un-  
rio-  
lo-  
se-  
da  
ner,  
an-  
um  
um  
m-  
ibi  
se-  
ere

dit. bin  
Jald

et mo  
as



Quod si quis aliud è diuinis historijs monstrum sibi cupit ostendi, quod in peccati supplicium sit datum, potest id sanè, & quidem luculentum, cui ad memoriam perpetuandam statua est posita. Nam si vel Poëta in monstris numerant periurum illum Battum, quem Mercurius vertit

Ouid. lib.  
2. Met.

*In durum silicem, qui nunc quoque dicitur Index;*

Gen, 19.  
26.

*Inq; nihil merito vetus est infamia saxo,*  
Cur in monstris non habeatur vxor Lot, qua respiciens post se, versa est in statuam salis. Vatablus vertit in statuam perpetuam, quæ versio etsi minùs propria est, cùm passim authores agnoscant, eam mulierem propriè esse in statuam salis conuersam; tamen illud innuit, quod de ea Tertullianus scripsit, eam durasse ad multa sæcula; immò quod alij asseruerunt, eam ære perennis superfuisse. Siquidem Borchardus, qui vixit ab hinc trecentis annis, testatur hanc statuam, sua adhuc ætate, inter Engaddi & mare mortuum extitisse; eamq; etiam sua adhuc ætate visam docet Adrichomius & Abulensis. Enimuerò Targum Hierosolymitanum addit, statuam hanc duraturam, vsq; ad diem extremi iudicij & resurrectionis.



rectionis. Christus sanè Dominus voluit  
memoriam eius perennare, quando dixit:  
*Mementote vxoris Lot.* Voluit ergo Deus Luc. 17. 32<sup>s</sup>  
statuam illam effigie mulieris, & retenta col. 1119  
vxoris Lot forma æternum esse iustitiæ suæ 115  
monumentum. Nec mirum videri debet,  
si sal alioqui aquis diffluens, tam diu possit  
pluuias ac tempestates sustinere. Est enim  
sal quoddam metallicum, quod imbribus  
resistit, & ipsis ædificijs soliditate sua est  
vtile. *Africa,* ait Plinius, *circa Vticam con-* Plin. l. 31<sup>s</sup>  
*struit acervos salis ad collium speciem: qui ubi* cap. 7.  
*sòle lunaq; indurnère, nullo humore liquefcunt,*  
*vixq; etiam ferro caduntur.* Eiuscemodi sa-  
lis statua vtique potest & nimbos & hie-  
mes tolerare. Præsertim si miraculo con-  
seruetur.

§. VII.

*Firmitas & miraculum statuæ salis.*

Nam inter mira & monstrosa huius sta-  
tuæ, non est sola conuersio eius ex homine  
in lapidem, quæ vim naturæ superat; ne-  
que sola eius duratio, siquidem aliàs &  
marmora suam patiuntur senectutem, &  
nihil non

*eui longinqua valet mutare vetustas;*  
*sed etiam modus conseruandi. Etenim,*  
quod